

(1253) 1254, gener, 3

*Bernat d'Aiguaviva es dóna per ben pagat de Pere de Fontclara per la venda que li ha fet, de béns situats a Aiguaviva i Vilobí.*

ASD núm. 164, perg. ressenyat al núm. anterior.

Sit notum cunctis quod ego Bernardus de Aquaiuia recognosco me .bene esse peccatum, renunciando excepcioni non numerate peccunie a te Petra de Fonteclaro de omnibus illis quinque mille solidis barchinonensibus quos mihi dare tenebaris pro precio uendicionis quam tibi feci de domo de Aquaiuia cum cellaria que ibi est et de mansa Marie Masse et de mansa Felicis de Crosa et de mansata de ipsis Falgers quam tenet filius Bernardi Ferrarrii et de borda Petri Dominici et de mansa Beatricis de ipsis Oliuis qui sunt in parrochia Sancti Iohannis de Aquaiuia et de quarta parte decime omnium rerum tocius parrochie de Aquaiuia et de mansa Bernardi de Podia et de mansa Marchi qui sunt in parr'ochia de Uillalbino et de quarta parte decime omnium rerum tocius parrochie de Uillalbino et de omnibus feudis tam militum quam aliorum hominum que ratione dicte domus de Aquaiuia tenentur ubicumque sint, tam in parrochia de Aquaiuia quam in aliis lacis et parrochiis et de hominibus et feminis predictorum mansorum et bordarum et de honoribus et possessionibus ipsorum mansorum et bordarum et de omnibus censibus et agraris et iuribus et dominiis et ceteris aliis quecumque habebam et accipiebam et habere et accipere debebam ulla ratione in tota parrochia de Aquaiuia, que omnia tibi uendidi sicut melius, plenius et lacius in instrumento uendicionis inde confecto continetur, quod inde habes, quod in presenti cum hoc publico instrumento tibi et tuis lauda et concedo et approbo et confirmo in perpetuum, cum omnibus in ipso instrumento uendicionis contentis et nominatis, ita quod de cetero pro predictis .V. miUe solidis barchinonensibus uel aliquis per me aliquid tibi uel tuis non exigamus neque exigere ualeamus iure aliquo uel ratione, set sis inde liber et absolutus ex parte mea et meorum in perpetuum, et super hiis renuncio omni iuri scripto uel non scripto mihi et meis competenti uel competituro. Et ad maiorem firmitatem predictorum iuro super sancta .IIII. Dei Euangelia corporaliter tacta omnia predicta atenderi et complere et nuquam contrauenire iure aliquo uel ratione. Hoc autem facio saluis et retentis mihi mille .XCV. solidis barchinonensibus qui mihi restant ad recipiendum ex precio dicte uendicionis, quos adhuc mihi debes, secundum quod continetur in instrumentis inde confectis per alfabetum diuisis inter me et te.

Actum est hoc .ur. nonas ianuarii anno Domini .MCCL. tercio.

Sig+num Bernardi de Aquaiuia, qui hoc firmo et laudo. Sig+num Raimundi Segelli, sig+num Poncii Rubei, testium.

(s. man.) Arnallus de Sancto Martina, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 333-334